

Heu me! quod mors est nullis medicabilis herbis:
Cur tantum in sanctos, Morta, tuum imperium est?
Nunc mihi nunc magno ducenda est vita dolore,
Squalida & afflictæ nox erit & tenebræ,
Qui fuit ante dies. flete, heu! deducite fontes,
Quis cordi est tanti tanta ruina viri.
At vos Tarpejæ meretricis fulmina, mundi
Tormina, sanctorum funera, & orbis onus:
Ne nostro, ventres, nimium insultate dolori,
Nec quod me Omnipotens oderit, hinc capite.
Sum vera, altisoni, sum vera Ecclesia Jovæ,
In chaos antiquum cuncta licet redeant:
Tela licet fuerint in me vibrata Jehovahæ,
Inq; caput nostrum mundus & orcus eant:
Sum tamen altisoni sum vera Ecclesia Jovæ,
Quam roseo emisti sanguine, CHRISTE, tuo.
Ipse mihi pressæ succurret: non ita pressam
Opprimet: hæc curæ propria dogmata erunt:
Nauceros dabit ipse alios, qui candida pulchro
Et docto & puro pectore corda gerant.
Ipsi haud difficile est é saxis fingere doctos:
Vincere non ars est simplicitate sophos.
Quondam piscarum qui retia ferre solebant,
Pontificum argutis opposuit furijs.
Ille per infantes canari gaudet, ovansq;
Facta trucidis pectus dat, furiata Papæ.
Ipse meos cælo ditat dotatq; fideles,
Quos gravis hic Jovæ pressit amica manus:
Cum vos, Tarpejæ præseva sagina cloacæ,
Nocturni manes, claustra, Erebusq; manent.
At tu LOBECHI, divis pars addite, salve!
Salve perpetuum, perpetuumq; vale!
Dum fuerit, Jovæ qui spargat dogmata, præco,
Scripta tua atq; labor, nostra ea gloria erunt.

96 90

F 3

Epices